Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tuus scis. per te ipse largiri dignaris eandem fidem habemus. Et hec dicens: ait ad
debilem. In nomine sancte et individue trinitatis adiutus meritis sanctissimi magistri
nostri sta [illegible] sanus et incolomis super pedes tuos et rectus. Et continuo sospitati redditus
cepit rectissime ante nos pergere: ac dominum voce exultationis et laudis benedicere di-
cens. Benedictus deus creator omnium, qui me redintegrare dignatus est meri-
tis sanctissimi servi sui Benedicti: et per beatissimum discipulum eius maurum. Perfec-
[ierat] tissimus ergo benedictus cum reversus ad monasterium sanatus pre pedibus fuisset
nobisque narrantibus et laudantibus dominum ea que conti gerat comperisset: magna deinceps
admiratione ac veneratione beatissimum habere cepit maurum. Nec iam loco di-
scipuli censebat estimandum: quem ita deo proximum iam videbat effectum.

PER idem tempus legati ad nostrum venerunt monasterium: missi a beatissimo
bertichramno cynomannice civitatis episcopo. Nam isdem sanctissimus pontifex
audita fama sanctitatis eximii patris nostri. flodegarium archidiaconum. et harderadum
vicedominum suum. serenissimos scilicet atque clarissimos viros a latere suo cum xeniis
ad eundem patrem nostrum transmisit: omnibus eum exorans precibus: ut illi perfectissi-
mos fratres dirigeret. qui monasterium illi secundum ordinem regularis observationis
in fundo ecclesie quam regebat edificare deberent. Perfectissimus vero pater noster iux-
ta rationem et revelationem que in prefacione huius operis a nobis pleniter exposita est.
[quem] quamque finem dierum suorum iam iamque sciret imminere" ~~secum~~ spiritu sancto indicerat
revelante: legatis supradicti antistitis tam beatum maurum quam alios iiii.
quorum nomina proemio inseruimus assignavit: precipiens nobis ut non minus
ipsi beatissimo mauro quem nobis magistrum constituebat. quam ei eatenus in omnibus
pareremus. Iam vero quis digne expliceret quantus meror quantusque luctus totam
sacratissimam nostram subito corripuit congregationem" Quia enim sanctus pater
eis iam obitus sui reseraverat diem. spes et consolatio totius congregationis in
beatissimo pendebat mauro: illum se patrem. illum se gaudentes post eius transitum
habere rectorem. Sanctissimus autem pater noster tantis fletibus et suspiriis motus. omnem
convocans congregationem talem ad eos protulit orationem. Si tristandum dilectissimi
fratres ac filii pro tali esset negotio. [multo] magis quam vos hinc esset merendum: qui quan-
tum ad presens magis videor destitui solaciis. Sed quia dicente apostolo caritas be-
nigna est: benignitatem caritatis nostre omnimodis impendere debemus his quos [nos]
aliquo modo ea indigere cognoscimus" nec nostra tantum quam aliorum querere. Qua-
propter vos paterni amoris sollicitudine fletibus et merore temperare deposcimus:
quia potens est deus meliores nobis post huius depositionem corporis huic imittere sancte
congregationi: quorum meritis et exemplis longe prestantius quam nostris edificemi-
ni. Sed illud summopere nobis est procurandum ne versutia antiqui hostis unde aliis
salus acquiritur. inde nobis tristicie malo detrimentum in aliquo generatur. Nos et enim